

NOTAS Y TEXTOS

DECLARATIO S. OFFICII QUAE IN RE GRAVISSIMA CORRIGIT COMMUNEM AUCTORUM SENTENTIAM

(*Dessumptum ex ultima ed. operis nostri Casus Conscientiae nuper in lucem editi*)

Interrogatum fuit S. Officium circa verum sensum § 2 canonis 2367, quae sic se habet: "Tamdem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur sed ideo ita se gerit quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est".

Ante omnia notandum est quod haec verba canonis 2367, § 2, desumpta sunt ex responso S. Paenitentiariae 19 febr. 1896, ubi sensum responsi ita explicat eadem S. Paenitentiaria: "*Directe* autem confessarius inducit paenitentem, quando positive et explicite eum praemonet de tacendo peccato complicitatis, quia v. gr. illud jam novit et declaratio esset inutilis. *Indirecte* vero inducit, quando confessarius suadere conetur paenitentem, sive quod actio turpis cum ipso commissa non est peccatum, sive saltem non tam grave, ut de ipso inquietari debeat; unde paenitens concludit ipsi licere non declarare tale peccatum et ab eo declarando revera abstinet". Tum responsum tum declaratio approbata fuere a Leone XIII, et vim retinent post Codicem juxta canonem 6, 2.^o "Canones qui jus vetus ex integro referunt ex veteris juris auctoritate atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi".

Responsum et declaratio S. Paenitentiariae supponunt *post* actionem turpem commissam confessarium conatum esse persuadere complici quod illa actio non fuisset peccatum, vel non grave, ut constat ex sensu obvio verborum, et etiam ex doctrina auctorum qui etiam post tale responsum, immo post Codicem, communiter docebant quod

si confessarius ante positionem actionis turpis persuasisset paenitentem intra vel extra confessionem actionem turpem cum ipso *ponendam* non futuram esse peccatum, aut non grave, tum confessarium absolventem paenitentem qui talem actionem non confitetur quia nullo modo peccavit, aut saltem non graviter, non incurrere excommunicationem contra absolventem complicem, quia talis paenitens non est complex, cum non admiserit peccatum *formaliter grave* contra sextum Decalogi praeceptum.

Et haec hucusque erat sententia communis. Audiatur v. gr. *Vermeersch*, "Nec ex § 2 can. 2367 (vol. 3, n. 501 ed. anni, 1923) excommunicationem effugit qui absolvit complicem ideo non accusantem peccatum complicitatis, "quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est". Modus indirectus erit si sacerdos, *post factum*, alteri suaserit peccatum non esse grave, vel inutilem esse accusationem quia res ipsi jam nota sit... *Post factum*, inquam, nam attentata communi opinione, casus non habetur si, a sacerdote deceptus, alter revera, propter errorem suum, graviter non peccarit".

Idem docebat *Cappello*, De paenitentia (vol. 2, parte 1, n. 612, 4): Si sacerdos per summum nefas induceret feminam ad credendum peccato prorsus vacare si turpiter ab ipso tangi se sineret, eaque ab illo decepta *bona omnino* fide (quae tamen per quam raro est admittenda, saltem ad longum tempus) turpiter tangi pateretur, quin formale in se peccatum admitteret, non haberetur complicitas".

Idem dicit De censuris, n. 176, 4 (ed. ann. 1925).

Nec aliter exprimebatur *Bucceroni*, Commentarii Com. IV, n. 69, ed. ann. 1898 (ante Codicem quidem, sed post illud responsum S. Poenitentiariae): "Si sacerdos aliquis per summum nefas induceret feminam ad credendum, peccato prorsus vacare, si turpiter ab ipso tangi se sineret, eaque ab illo decepta bona fide a se turpiter tangi pateretur, quin formale in se peccatum admitteret; nec complex esset, et posset sese subijcere sacramentali ejusdem sacerdotis iudicio pro absolutione non a venereo, a quo immunem eam ponimus, sed ab aliis peccatis obtinenda". Et haec omnia desumit ad litteram ex *Ituriaga*, Cas. 41, n. 25, 26. Et addit complicitas item abest de qua in lege, si mulier cum qua sacerdos peccat, licet interius consentiat, exterius tamen resistat.

Eandem sententiam tradebat *Busquet*, Thesaurus confessarii n. 681: Resolves: "Prohibitionem (absolvendi complicem) non incurrit Sacer-

dos... qui inhoneste contrectavit puellam, quam induxit id peccatum non esse”.

Quam sententiam suam fecit ejus continuator Garcia Bayon, n. 893: Resolves: “Non incurrit... excommunicationem... Sacerdos... qui inhoneste contrectavit puellam quam persuasit id peccatum non esse”.

Declaratio vero S. Officii hanc doctrinam communem sapienter corrigit.

En tenor talis declarationis 14 Nov. anni 1934 (*Acta XXVI*, pagina 634), “An inter indirecte inducentes de quibus in canone 2367, § 2 Codicis juris canonici adnumerandus etiam sit confessarius qui sive intra sive extra confessionem sacramentalem, alicui persuaserit in turpibus inter se patrandis aut nullum aut certe non grave inesse peccatum, eumque consequenter de aliis tantum sibi postea confitentem sacramentaliter absolvit vel fingit absolvere?”

Resp. S. Officii: “*Affirmative*, facto verbo cum Ssmo.”

“Hanc vero Emmorum. Patrum resolutionem in audientia R. P. D. Adsesoris Sancti Officii die 10 ejusdem mensis et anni impertita, Ssmus. D. P. Pius div. Prov. PP. XI adprobare et Suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est ac publici juris faciendam jussit.”

Igitur hic confessarius incidit in excommunicationem specialissimo modo reservatam contra absolventem complicem et gravissima obligatione tenetur extrahendi poenitentem a gravissimo ac perniciosissimo errore in quem eum induxit; nec absolvi poterit confessarius nisi poenitentem revocet de facto a tali errore vel serio id facere promittat. A tali excommunicatione utpote reservata *specialissimo modo* absolvi non poterit nisi in casibus urgentioribus et imposito recurso ad Sanctam Sedem.

Ratio cur auctores in contrariam communiter abierint sententiam erat quia poenitens in casu non peccavit formaliter saltem graviter cum eum ipsi ante actionem turpem ponendam persuasum sit in illa nullum adesse peccatum saltem subjective grave. Ergo non adfuit ex parte ipsius peccatum saltem grave nec vera complicitas ad grave peccatum, saltem externa.

Responsum et declaratio S. Poenitentiariae referebantur ad eum qui post *actionem turpem commissam* poenitentem suadere conatur illam actionem non fuisse peccatum aut saltem non grave, ut apparet: 1.º, ex verbis S. Poenitentiariae: *peccatum complicitatis* a quo nondum est absolutus—de tacendo peccato complicitatis—actio turpis cum ipso commissa; 2.º, ex communi auctorum sententia. Declaratio vero

Sancti Officii refertur ad eum qui *ante quam* ponat actionem turpem, conatur persuadere poenitentem actionem turpem cum ipso committendam non esse peccatum aut saltem non esse grave peccatum, ut eruitur ex verbis consultationis: loquitur enim “de turpibus inter se *patrandis*”, i. e. inter confessarium et alium.

Certe hujusmodi confessarius dignissimus est ut tali excommunicatione puniatur, ejusque crimen inter horribiliora recensendum est. Quare jam a multis annis talis punitio postulabatur a celosissimis Praelatis.

J. B. FERRERES.